



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Electionis Arbitrorum Form. Ll.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

fuert iudicatum : Unde si talis dispositio servabitur, prout servatam hic suppono, clausum erit ostium Scandalis.

8 Hæc autem Arbitrorum electio, quoties ex parte Ordinarii, vel ex parte Conservatoris proponatur, recusari non debet, quia assumuntur de necessitate, & dicuntur Arbitri juris, ut ex recitatis verbis ibi -- *in forma juris electos*, & habetur quoque dispositum à Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5. de reform.* Pasqualig. ad Lauret. de Franc. *p. 1. n. 853.* imò puto, quod facta propositione, si respuatur, & negligatur Arbitrorum electio, actus jurisdictionis, electionem recusantis deinde subsecuti, nulli sint : quia verba illa Constitutionis -- *nequaquam in causa procedatur donec &c.* quæ idem important, quod si diceret --

nullo pacto, nullo casu, nulla ex parte, ut docet Barb. *d. 212.* videntur habere vim præcisæ prohibitionis, & æquipollere clausulæ *nullatenus*, quæ nullitatem actus ipso jure inducit, idem Barb. *d. 226. n. 4.* Rot. cor. Duno. jun. *decis. 732. n. 25.* maxime juncta dictione illa *donec*, quæ de per se facit conditionem, Barb. *d. 93. n. 12.*

Ideoque Ordinarius quoties inter ipsum & Conservatorem de jurisdictione contentio sit, præveniendò inconvenientia, & Scandala, eligat Arbitrum, & postea electionem denunciet Conservatori, ut in illum consentiat, vel alium eligat, cum inhibitionem, nè in causa procedat, donec de pertinentia cognitionis ab Arbitrio electo judicetur; talis autem electio, sic erit faciendà judicialiter.

F O R M U L A L I.

Die

„ C O mparuit coram Dominatione Vestra Illustrissima Promotor Fiscalis
 „ hujus Curie, & habita notitia quod N. assertus Conservator PP. N. Ord.
 „ N. Monasterii N. se jactat Censuram inter N. & N. vertentem velle cognosce-
 „ re & judicare & de facto monuit. . . licet cognitio omnimoda pertineat ad hanc
 „ Curiam, nè eveniant scandala, instat ad formam Constitutionis Greg. XV.
 „ eligi Arbitrum, vel Arbitros, qui prætensionem, & controversiam hanc
 „ jurisdictionis dirimat, & postea electionem factam d. Conservatori intimari
 „ cum inhibitione, nè in causa prædicta audeat procedere sub pœnis &c.
 „ Qui Illustrissimus D. attentis expositis, ex parte sua, & hujus Curie in cau-
 „ sa supra expressa nominavit, & elegit, nominat, & eligit in Arbitrum N.
 „ J. U. D. qui Judicis partes in d. causa suscipiat, & per suam sententiam serva-
 „ to juris ordine controversiam de competentia jurisdictionis in ea inter hanc
 „ Curiam, & ass. Conservatorum obortam dirimat, & dicto Conservatori in-
 „ timari mandavit cum inhibitione, nè interim nihil innovet sub pœnis censu-
 „ rarum, Hac die

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

Intimationis.

F O R M U L A L I I.

„ I Ntinetur N. Conservatori asserto Monasterii N. & illius Religiosorum Or-
 „ dinis N. qualiter in Causa. vertente inter N. & N. Curia Episcopalis
 „ elegit, & nominavit in Arbitrum N. Clericum J. U. D. ut in controversia ex-
 „ orta